

61 Surgens verò Ribka & puellæ ejus, insederunt camelis, ut sequerentur virum illum: acceptâq; servus ille Ribkâ abiit.

62 Jitzchak autem veniebat ex ambulatione ad puteum Lachai rôi: (nam ipse habitabat in regione meridiana *Cenahanaæ*:)

63 Quò egressus erat Jitzchak ad meditandum in agro, appetente vesperâ: químq; sublatis oculis suis respiceret, ecce camelos venientes.

64 Ribka verò sublatis oculis suis quum videret Jitzchakum, dejecit se de camelo.

65 Quum illa dixisset servo, *Quisnam est vir ille, qui ambulat in agro obviam nobis?* servúsque dixisset, *is est dominus meus:* & accepto peplo operuit se.

66 Tunc enarravit servus ille Jitzchako omneis res quas fecerat.

67 Et introducens cam Jitzchak in tentorium illud *quod fuerat Saræ matris suæ*, accepit Ribkam ut esset sibi uxor, & amavit eam: sic consolatus est se Jitzchak post *obitum matris suæ*.

*Eventus petitionis servi Abrahæ narrantur quindecim.*

1 *Consensus Bethuelis & Labanis*, v. 50. 51.

2 *Servi Abrahami gratiarum actio ad Deum*, v. 52.

3 *Munera data Rebeccæ, itemq; fratri & matri ejus, versu 53.*

4 *Convivium & pernoctatio*, v. 54.

5 *Petitio dimissionis*, ibid.

6 *Exceptio fratri & matris Rebeccæ*, v. 55.

7 *Iteratio petitionis*, v. 56.

8 *Consensus Rebeccæ*, v. 57. & 58.

9 *Dimissio*, v. 59. & 60.

10 *Discessus*, v. 61.

11 *Occursus Isaaci*, v. 62. & 63.